

cipiunt, (ut ex Systemate Mundii Ptolemaico, juxta sententiam Veterum delineato patet) quarum prima terris proxima Lunæ, ultima fixis vicina Saturni: cui octava tandem Fixarum adjacet. Quas omnes ut certis & propriis motibus moveri, ita à primo mobile quasi imposito circumduci contrariâ viâ volunt.

Altera Tychonis, quæ cum priore ferè congruit, nisi quod correctionem aliquam in Orbium dispositione adhibet. Terram enim itidem in medio positam, non nisi fixarum, & duorum Luminarium, reliquorum vero Planetarum centrum Solem facit. Hinc primum infimum & terræ proximum locum orbis Lunæ habet, alterum concentricum Sol. Venus autem & Soli *καὶ οὐ πομοι τῇ ὅμῳ οὐ πομοι*, circa eundem moventur, in interiori quidem circulo & in exteriore autem & ampliore ♀: nec tamen orbis istorum terram complexu suo complectuntur. Tandem è Solis centro reliquorum Planetarum 3. Orbis concipit, ita tamen, ut primus Martis viam Solis in opposito intersecet, propterea quod juxta observationes accuratisimas interdum Mars Acronychus fiat ipso Sole propior terræ: ultimus & remotissimus à terra stellarum fixarum regioni ex altera parte sit proximus Saturni, ut ex Tychonica Systematis mundani adumbratione patet, cum qua ferè convenit Systema D. Röslin. paucis exceptis.

Tertia Copernici, quem sequitur CL. Dn. Kepplerus, inversum tantum habet Systema Mundi Tychonianum & Ptolemaicum. Hæc enim ut Sphæram octavam, ita & Solem immobilem facit, qui centrum sit universale mundi, & terræ, quam contrà orbis Lunæ duntaxat centrum, & in aëre non minus ac Planetam mobilem facit. Superiorum itaque Planetarum orbibus non variatis, Terræ & Solis sedes invicem permutatae efficiunt, ut Sol immedio mundi inclusus consistat, & Terra cum ambiente aëre, vicinaque Luna, intra ♀ & ☽ circuitum sublata duobus motibus in orbe suo, quem magnum appellant, moveatur. De quibus paulò post. Ubi notandum, quod si in descriptione orbium Copernicæ a circulus ex centro terræ per centrum ☽ ducatur, in que